

De universalibus

juxta Doctorem Eximium, Franciscum Suarez.

Auctore Aloisio Teixidor, Tortosae in Hispania.

Cum nostris temporibus illae quaestiones quae olim circa universalialia apud logicos agitabantur, ex ipsarum ad Psychologiam evectione novam dignitatem acquisivisse videantur, eas iuxta antiquum et probatissimum auctorem breviter exponemus.

Probatissimum auctorem voco, quem Summi Pontifices Doctorem Eximium appellarunt¹⁾, cuius magnam ad extirpanda zizania laudabant auctoritatem²⁾, qui etiam alter, post S. Thomam, totius Philosophiae scholasticae princeps ab diversissimarum scholarum hominibus est nuncupatus³⁾. Liceat ergo alios tantum virum

¹⁾ Paulus V et Benedictus XIV v. Sortais.

²⁾ Paulus V ad ipsum scripsit: „Novimus enim, quantum tua auctoritas ad extirpanda zizania valeat“; v. apud C. Werner in op. Franz Suarez (1789).

³⁾ Cardinalis * Gonzalez, dominicanus (v. *Historia de la Filosofia*, 2. ed. 1886, t. III p. 146), haec ait: „Suarez es acaso, después de Santo Tomás, el filósofo más escolástico de los escolásticos, el representante más genuino de la Filosofía escolástica... Su concepción filosófica es la más completa, la más universal y sólida, si se exceptúa la de Santo Tomás“... Doctor Wulf (v. *Histoire de la Philosophie Médiévale*, 2. éd. 1905, p. 527) dum timet ne immerito appelletur Suarez interpres S. Thomae omnium praestantissimus, haec addit: „son grand ouvrage philosophique, *Disputationes metaphysicae*, est un des répertoires les mieux dressés, les plus complets et les plus clairs de la métaphysique de l'École“. — Ex Ueberweg, *Grundriss*... 10 Aufl. S. 35 haec desumo: „Heereboord nennt den Suarez geradezu omnium metaphysicorum papa atque princeps und meint, alle kürzeren und geordneter geschriebenen Metaphysiken der damaligen Zeit seien aus ihm genommen (s. Freudenthal und die Scholastik)... Bis Ende des erwähnten (17.) Jahrhunderts scheint sich Suarez auf manchen deutschen Universitäten desselben Ansehens erfreut zu haben, das früher Melanchthon genoss, woraus es erklärlich ist, dass gar manches aus seinen uns verwandten Lehren in die neuere Philosophie geflossen ist“. — Simili modo apud W. Windelband ut praeclarissimus suae aetatis scholasticus, noster Suarez apparet. — Quid vero socii eius, iesuitas dico, de ipso senserint, vide, si lubet, apud omnes generatim philosophos Societatis Jesu; qui omnes, saltem si paucissimos recentiores excipias, uno ore allatum Cardinalis Gonzalez approbant, vel etiam augment, maiorem ipsi Suarez tribuendo honorem. Unum illud est addendum, maxime apud Praepositos Generales S. J. auctoritate valuisse, praesertim apud Claudium Aquaviva et successorem eius (v. Werner l. c.); unde patet, factis non congruere affirmare cum Eminentissimo Cardinali Lorenzelli in epist. ad Norbertum del Prado edita in *Revue Thomiste*, P. Suarez a suis superioribus fuisse reprehensum, eo quod reliquisset doctrinam S. Thomae (v. *Vida*

inter antiquos nominalistas recensere; nos vero suum de universalibus systema in quo omnia inter se solidissime cohaerere iudicamus pro virili parte nostra declarabimus.

Nihil autem curabimus, multiplices eius et propemodum infinitas sententias ut rem totam comprehendat, percurrere, nec multo minus, verbis ipsis apponere: in liquidissimo enim auctoris stylo non difficulter eius attingitur mens. Quocirca nullatenus erit opus, eius proponere verba, quasi ut quisquis vestiget utrum eorum simus assequuti sensum: immo satis superque erit, si in compendium redigimus quod ille latissime tractat, omnium praeteritorum, qui de hac re egerunt, rationes ad trutinam revocando. Hoc dum facit Suarez, longe praestat contemptores suos, ex quibus multi saepenumero doctrinam eius respuunt hac nuda voce et quasi divinatione, quod videlicet, Suarez mentem D. Thomae non sit assequutus.

Qui autem velit melius totam hanc quaestionem apud ipsum auctorem per se ipse iudicare, loca haec praecipue consulere debet: Disputationem 5 et 6 ex *Metaphysicis*, et l. IV quod *De Anima* est a Suarez scriptum. Nihil aliud commodius inspiciendum existimo; neque enim eiusmodi scripta, pro hominibus vel parumper in philosophia versatis, ulla indigent explicatione. Haec enim est maxima laus Francisci Suarez quod eius doctrina alienissima sit ab ingentibus nubilis, quae metaphysicam nostrae aetatis obscurare videntur, ac penitus obruere.

Divisio quaestionis: 1. Quid sit Universale. — 2. Non datur Universale a parte rei. — 3. Universalia intellectu concipiuntur. 4. Ad haec consequenter, aliqua ad cognitionem universalium pertinentia erunt addenda ut summa totius doctrinae optime sibi concordis habeatur.

I. Notio Universalis.

Ut saepe est animadvertere, quamvis initio tractationis cuiusque opus sit rem tractandam clare definire, ne sermo in incertum feratur, non tamen exacta potest tradi definitio, cum non nisi post praeiudicatam quaestionem id fieri queat. Sic igitur in praesenti, non statim possumus proponere quid haec voce universalium intelligat Suarez, cum de universalibus agit; sed hoc contenti erimus, si probe sub oculos ponimus, vulgarem aliquam adumbrationem ipsius universalis, ut ope rationis et vestigationis magis et magis deinde perpoliatur eius conceptus. Sumit ergo Suarez vocabulum ex communi usu seu vulgi seu philosophorum, idque apud ipsum sonat: unum aptum esse in multis; unum aptum dici seu praedicari de multis; cuius rei aptissimum exemplum in nobismetipsis

de Suarez, por el P. Antonio Descamps, Perpiñán, 1671/72 — vel scriptam a P. Benito Sartolo, Salamanca 1693 — vel a P. Massei). De haere nuper maxima perspicuitate egit, R. de Scorraille, v. *Etudes*. 5. Juin 1912, Paris. François Suarez a-t-il été blâmé par ses Supérieurs? Simili modo: Ugarte oe Ercilla, v. *Razón y Fe*. Julio 1912, Madrid).

habemus, conceptu seu vocabulo Homo. Est enim Homo aliquid universale, quia de multis assero homines esse et revera sunt; quia Petrus est homo, Paulus est homo, et Andreas et Joannes etc., unde et sunt et praedicantur homines ut possit etiam unusquisque illud repetere: Homo sum, Humanum a me nihil alienum puto. Hoc autem nihil, quo melius ad rem faciat, non tantum in peiorem partem sumimus. Profecto, nihil, quod ad hominem pertineat, vel quod hominem constituat, deest Petro vel Paulo vel ulli alii, qui homo est. Vegetat enim, ut vel oculis etiam videmus, individuus Petrus, et sentit, et sermocinatur, et discurrit, resque contemplatur amando; iam vero, subiectum, cui merito omnes istiusmodi operationes tribuuntur et insunt, uno actu, vel si mavis, ictu mentis, et unico vocis sono, homo appellatur. Sunt praeterea multa alia individua distinctis insignita nominibus, Paulus quidem, et Andreas et Joannes etc., quae similem naturam ostentant, per easdem videlicet operationes sive vegetandi, sive sentiendi, sive intelligendi, quas prae se ferunt; unde consequens est quod uno eodemque verbo tum primam tum has postremas naturas; tum nobismetipsis, verbo mentis, tum aliis, verbo ore prolato, indicemus. Igitur hac voce homo non loquimur de individuo vel persona Petri vel alterius, quem sub hoc verbo (vel mentis, vel oris) non distinguimus ab aliis, sed de homine solum, de eo nempe quod potentia vel actu omni convenit individuo humano. Haec est vis et imperfectio intellectus nostri quod dum non immediate perspicit substantias rerum, per effectus et proprietates ipsarum dividat et distinguat mente, quod in re summa gaudebat simplicitate; et e converso, ea quae natura distincta erant et separata, dum omnia possunt eosdem effectus gignere, actu suo in unum quasi reducat. Quae omnia falsitatem non important, iuxta proverbium, praescindentium non est mendacium. Praescindit enim mens nostra, seu praecidit assidue, in rebus quas attingit, multa; ex qua praecisione non ita perspicue res attacta comprehenditur.

Fit igitur in mente nostra quod in hoc aspectabili mundo solet accidere, ut quo intensiori luce omnia perfundantur, melius singula oculis distingui possint. Lux autem animi acies mentis est, penetrabilior omni gladio ancipiti, ut dividat vel distinguat quidquid iuxta veritatis normam distinguendum apparet; quae norma vel signum realis distinctionis maxime in separabilitate quoad locum et tempus continetur.

II. Non datur Universale a parte rei.

Ut naturam universalis penitus nunc vestigemus, duo sunt in ipso cum Suarez consideranda, unitas scilicet et multiplicitas. — 1. Debet ergo natura, quae vocatur universalis, esse una natura, non multiplex, seu quod idem est, debet esse unum ex universalibus, sive haec dentur, sive non dentur ut probamus. Sed caute admodum de hac unitate naturae advertendum quid ipsi accidat ex suis in-

trinsecis, quid vero ex nostra mentis consideratione. Natura humana, ut in unoquoque existit, est certe aliquid reale independenter a cognitione praecisiva quam eam aliquis de ipsa habeat. Etenim in quocumque homine est principium omnium operationum realium quae ex ipso dimanant; quodcumque ergo et quomodocumque mens aliqua totum hoc quasi concipiat hac voce natura humana, non tunc ipsam gignet, sed inventam prodet; immo, nunquam mens, nisi de re ficta loquamur, suum objectum producit, sed invenit propositum sibi. Datur ergo natura humana a parte rei seu independenter a mentis consideratione. Numquid etiam datur cum propria unitate universali?

Naturam humanam voco principium operationum humanarum; ergo natura humana universalis esset principium universale unicum omnium operationum humanarum: ipsam vocemus formam sine materia, vel quomodo magis placeat, talis natura humana esset fons et origo omnium quae hominibus tribuuntur. Quis umquam tam absurdam hypothesim instituere audebit? quis pugnantem inter se consequentias, quae hinc depromi debent, devorare poterit? Si natura humana quae extra omnem inquisitionem mentis nostrae, foris, ut ita dicam, existit, non est in se ipsa determinata et individua sicut est individua et determinata omnis persona, existens vel possibilis, in ipsam mysterium intrudimus mysterio Sanctissimae Trinitatis abstrusius: quippe quae esset natura, quae una cum sit, ipsa non in tribus tantum personis, sed in innumeris reperiretur vel reperiri posset; quin imo, hoc tam mirandum in Deo mysterium in unaquaque rerum specie repeteretur. Certe, si principiis rationis volumus stare, unaquaque res se ipsa est (formaliter non efficienter) id quod est, et non alia; certe, si nolumus innumeris contradictionibus involvi, et quasi circumquaque ferri omni umbra rationis, nullo securo ductu, ad veritatem vestigandam, omnes res sive existentes sive possibiles ut in se ipsis determinatas determinatione individua respicere debemus. Nulla experientia cogit nos, vel inducit, vel levissimam suspicionem nobis ingerit, ad hoc, ut, si abstrahimus a praecisionibus nostrae mentis, unitatem aliquam admittamus in rebus, praeter illam quae est propria individui, seu qua unum individuum ab alio distinguitur. Certe quae sunt extrinseca rebus, sive phaenomena sive effectus ipsarum vocemus, possunt et debent nobis inservire ut inter ipsas res distinctiones statuamus; sed distinctio affirmatur non tantum de effectibus vel phaenomenis, sed de suis etiam causis, utpote quae in rerum natura non suis effectibus, sed ex sese ipsae inter se discriminantur. Non ergo datur independenter a nostra cogitatione natura aliqua unitate universali praedita.

2. Nec multipliciter ad universale constituendum requisitam in rerum natura poterimus invenire; quod quidem sine ulteriore disquisitione ex dictis contra unitatem possemus concludere, sed quia hoc est gravissimum fundamentum doctrinae Suarez rem magis perpendemus. Quid autem haec multipliciter importaret nisi quod unum

multis communicaretur? Iam vero, hoc unum communicari multis in re praesenti incommoda affert insignia. Nam hac in re communicari idem est ac esse, unde unum communicari multis, erit unum esse multa. Quid autem hoc incongruentius? Rem exemplo illustremus. Natura humana ut multiplex seu universalis communicatur Petro, Paulo, Andreae etc.; ergo natura humana est idem ac Petrus, Paulus etc.; iam si natura quae pertinet ad Petrum, Paulum etc. servat unitatem aliquam realem, quid prohibet quominus dicamus Petrum, Paulum etc. esse unum eundemque hominem utpote unicam naturam humanam habentes?

Sed non est cur in hac re immoremur, cum evidens sit Suarez optime hic cohaerere tum rationi, qua duce philosophus res vestigat, tum auctoritati Aristotelis, quem ipse explicat, tum denique S. Thomae¹⁾, quem sequi profitetur: totaque quaestio ipsi tam clare soluta ab antiquis videtur, ut neque auctoritas Aristotelis (1 et 7 *Metaphys.*), possit ipsi suadere Platonem contrarium sensisse.

Illud autem restat explicandum, ut merito reiiciatur universale a parte rei, sc. quid sit in natura quae vere et non fecte denominatur universalis, aptitudo ut sit in multis, vel communicabilitas ad multa. Ac primo quidem, dicendum est hanc aptitudinem non esse quid reale conveniens naturae ut existit identificata cum aliquo individuo. Profecto dum Petrum cognosco, intelligendo eius naturam humanam, dum eam mente non abstraho a Petro, nihil in ipso invenio quod sit aptum ut cum alio homine identificetur, manendo quod est, nempe Petrus. Hoc autem in ipsum rationis principium recidit, quod videlicet a parte rei nihil est, nisi singulare, et individuum, et in ipsis singularibus nihil est ab eis ex natura rei distinctum; quia, „natura universalis non existit in multis, nisi per identitatem cum singulis eorum; sed identificata uni individuo non potest eadem secundum rem, et secundum existentiam realem identificari aliis; non ergo ut in re ipsa individuus communicatur, et in eis existit, potest habere aptitudinem realem essendi in multis“. Haec Suarez, et late et dilucide sequitur declarationem partium huius argumenti validissimi quamvis non videantur tanta indigere explicatione.

Apprime haec convenire videntur cum sententia S. Thomae²⁾. „Naturae autem“, ait S. Doctor, „humanae, neutrum eorum convenit secundum suam absolutam considerationem: si enim communitas (aptitudo ut sit in multis) esset de intellectu hominis, tunc in quocumque invenitur humanitas, inveniretur communitas: et hoc falsum est, quia in Socrate non invenitur communitas aliqua, sed quidquid est in eo individuatum est“. Similia dixit Aquinas dum reiiciebat universale Platonis cum Aristotele³⁾ ostendendo „quod

¹⁾ v. Opusc. de *Natura Generis* c. I, ubi haec v. gr. dicit: „Omne enim quod est, ideo est quia unum numero est“.

²⁾ Opusc. *De Ente et Essentia*. c. IV per totum.

³⁾ *Comm. in XII libros Metaphysicorum* l. VII l. XIII.

animal commune, vel homo communis, non est aliqua substantia in rerum natura“ . . . „Quod primo probatur ex hoc quod substantia uniuscuiusque est propria ei, et non inest alii“. Vides, credo, fundamenta doctrinae Suarez, quamvis iste non repetat verba ipsa Doctoris Angelici. Haec porro sententia de singularitate cuiuscumque rei existentis sicut saepius repetita apud Suarez invenitur, ita etiam passim affirmatur in operibus S. Thomae, et quidem his verbis: „In re nihil est commune multis, quia quidquid est in re, est singulari uni soli communicabile“¹⁾. „Ipsa igitur natura cui accedit vel intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis non est nisi in singularibus“²⁾.

Verum ad Doctorem Eximium redeamus ut ipsum interrogemus circa ultimam radicem in rerum natura communicabilitatis rei, quae dicitur universalis, ut sit in plura. „Haec“, ait, „solum est indifferentia quaedam, seu non repugnantia, quae fundamentum habet in ipsa natura secundum se, actu vero non convenit illi, nisi prout subest abstractioni intellectus“. Advertas quaeso censuram allatam a Suarez huic propositioni: Est communis, dicit, et in ea „videntur convenire . . . maxime Caietanus et alii Thomistae“. Sed de hoc nihil disputat: rem vestigat, nec contentiones verborum sectatur. Quodnam igitur sit fundamentum intimum communicabilitatis naturae universalis ad plura his verbis clarissimis tradit: „illud est“, inquit, „naturalis conditio seu proprietates talis naturae, ratione cuius non repugnat illi multiplicatio individuorum intra eandem speciem: haec autem proprietates . . . est solum talis perfectio et limitatio huiusmodi naturae. Unde haec proprietates, quae fundat hanc indifferentiam seu nonrepugnantiam, non solum in natura communi, et praecisa intelligi potest, sed etiam in ipsis particularibus, seu individuis, ut talia sunt“. Nisi me cohiberet modestia ipsius P. Suarez, affirmarem et propugnarem hunc locum esse ex praestantissimis totius perennis Philosophiae. In ipso enim, radicitus evertitur capitalis difficultas criticismi sceptici contra possibilitatem cognitionis non fictae, non subiectivae tantum, rei universalis. Nonne philosophus modernus, Kant, suam Criticam rationis purae maxime fundavit in hoc quod nullam inveniret viam cognitionem universalem ab experientia eruendi rerum singularium? Et ecce tibi obvium processum, tam sine fuco, tam simplicissimis verbis a Suarez propositum. Porro, quid mirum quod intellectus humanus erumpat in cognitionem universalis, si dum rem singularem introspicit, ipsam videt ita limitatam, talibus circumscriptam linea-

¹⁾ Opusc. *De Natura Generis* c. 5.

²⁾ *S. Th.* p. I quaest. 85 a. II ad 2^{um}; v. multa alia loca S. Thomae his conformia apud Urráburu, *Inst. Phil.* v. I l. II. Quae adduximus inveniuntur in ipso Suarez indicata, quamvis, ut est mos ipsius, cum non probat rem per auctoritatem, nec disputat de sententia alicuius auctoris, non adducit verba Doctoris Angelici.

mentis, ut non pugnantia loquatur qui eiusmodi naturam vel principium operationum secundum numerum multiplicatam supponat?

Profecto ex contraria ratione non depromimus ex cognitione unius Dei personalis, cognitionem Dei universalis¹⁾; eaque est probatio egregia unitatis Dei, quod in consideratione ipsius nullum fundamentum inveniamus multipliciter admittendae, sed summae singularitatis divinae naturae; quae quia ex se est, necessario ex se determinata est ad unicum et simplicissimum et perfectissimum essendi modum. Hoc si inspexisset Kant, illas tam crebras pariter ac gratuitas affirmationes omisisset, quod ex cognitione phaenomenorum non possimus assurgere ad ideas universales, quae necessariae etiam tandem deveniunt. Equidem omni comparatione sublata inferiorum, quae invidiam magis pareret quam utilitatem, dum errores Kant mente revolveo, illud mihi semper in mentem venit in *Disputationibus metaphysicis* et libris *De Anima* P. Suarez invicte et perspicue omnes esse retusos.

Sed de hoc alias, nunc ad tertiam quaestionem propositam veniamus.

III. Universale per intellectum.

Rem simplicissimam aggredimur probandam, si hucusque adducta non contemnenda, ut spero, videntur; quandoquidem defendere contendimus doctrinam Suarez, quod unitas universalis ab intellectu dimanat. — Si Suarez audiamus, debemus admittere hanc esse opinionem totius scholae; ipse autem scholam maxime cognoscebat, nec mentitur; est ergo illi assentiendum. Dubium enim non est quin ipsi Suarez praeluxerit in hac sententia tuenda S. Thomas²⁾. Quid enim clarius est apud Doctorem Angelicum expressum, quam quod intellectus est qui facit universalitatem in rebus, quod ratio speciei accidit naturae humanae secundum illud esse quod habet in intellectu, . . . quia non invenitur in individuis natura humana secundum unitatem ut sit unum quid conveniens cuilibet secundum unitatem universalem . . . quia quamvis „sensus non apprehendat universale; apprehendit tamen aliquid cui per abstractionem accidit universalitas“ (*S. Th.* 1. 2^{ae} quaest. 2^a art. 6 ad 1^{um}) . . . „universale potest dupliciter accipi: uno modo pro ipsa natura cui intellectus attribuit intentionem universalitatis“ (l. XIII in VII *Metaph.*), et (*De natura generis* c. V) haec iterum habet S. Doctor: „nomina primae intentionis sunt quae rebus sunt imposita absolute mediante conceptione, qua fertur intellectus super ipsam rem in se, ut homo vel lapis“ sc. per haec nomina consideratur natura, abstracte quidem, sed non secundum praedicata extrinseca quae illi accidunt ex hoc statu abstractionis ut sunt denominationes unius, communis, indifferentis, universalis etc. quae

¹⁾ v. Suarez, *Disp. metaph.* 29 s. III.

²⁾ v. S. Thomam in locis antea adductis.

in schola praedicata secundae intentionis vocabantur. Suarez haec omnia bene novit quin adducat, non enim contendebat omnia, quamvis praeclarissima, S. Thomae dicta, ad verbum repetere, sententiam autem volebat confirmare, id quod, mea quidem sententia, satis admodum perficere obtinuit.

Dicendum itaque est, ait, unitatem universalem per intellectus functionem insurgere, sumpto ex ipsis rebus singularibus fundamento, seu occasione. In hac sententia socios et amicos invenit, praeter Arist., S. Thom., Alb. Magnum et multos alios, thomistas omnes Capr., Caiet., Sonc. etc. quos passim nominat. Sicut paulo antea refellimus universale a parte rei ex eo quod in re deerat naturae unitas et communicabilitas propria universalium, sic nunc defendemus universale per intellectum, quia ex consideratione intellectus abstrahentis natura ipsa, v. gr. humana, acquirit huiusmodi unitatem et communicabilitatem.

Quod ad unitatem spectat, ante opus mentis non dabatur in rerum natura nisi multiplicitas; post conceptum autem vel sub conceptu, v. gr. hominis, iam omnes homines sunt uniformiter definibiles; ergo forma vel intentio universalitatis, ut cum S. Thoma loquar, est actus intellectus abstrahentis. Natura enim humana non erat nisi multiplex in singularibus, sed per conceptum homo ita denudatur ab illa multiplicitate, ut ex vi illius conceptus numquam possit apparere ut multiplex, sed ut unum principium et fons operationum humanarum: est ergo una per intellectum. Nec minus clare evincitur per ipsam mentis praecisionem reddi naturam aptam ut pluribus communicetur, seu ut multiplicetur. Similitudo enim quae intercedit inter individua speciei humanae, ut in re sunt, hanc aptitudinem non praestat; propterea quod, licet mirabilis sit talis similitudo, numquam efficiet ut unus homo sit alius seu communicetur alteri. Verum enimvero, post operationem mentis abstrahentis, iam natura ipsa, prout substat ipsi conceptui homo, nihil habet ex quo impossibile sit, quod vere in unoquoque individuo inveniatur et de ipso praedicetur. Patet igitur unitatem et communicabilitatem ad multa quae universale constituunt ab intellectu procedere; non quod natura quae denominatur universalis nihil sit nisi actus intellectus nostri, hoc enim esset vetus conceptualismus, sed quod denominationem hanc universalis, accipit natura ab intellectu. Est igitur universale in systemate tum Aristotelis, tum S. Thomae, tum etiam Doctoris Eximii, quasi concretum quoddam, exurgens ex unione rei existentis vel possibilis, et actus mentis praecisivi: nam hic actus ita nobis refert rem, ut iuxta vim et energiam huius conceptus ipsam non determinatam numero, sed determinandam videamus. Paucis vero tota haec quaestio proponi potest; si dicamus non existere universale a parte rei, existere tamen fundamentaliter.

Unde iure potuit statuere Suarez tamquam principium certum quin contra ipsum umquam offendere debuerit: „naturas illas, quas

nos universales et communes denominamus, reales esse, et in rebus ipsis vere existere: non enim eas mente fingimus, sed apprehendimus potius, easque in rebus esse intelligimus et de illis, sic conceptis, definitiones tradimus, demonstrationes efficimus, et scientiam inquirimus“. Quae verba certe faciunt contra nominalistas omnium aetatum maxime recentiores, ut consideranti patebit; et quamvis ut erat mitissimus vir non acriter in ipsos invehatur, asserit tamen illos falso negasse demonstrationes, aut definitiones dari de rebus, quia scientiae non sunt de nominibus, et conceptibus formalibus nostris, sed directe de rebus. Et ut totam rem verbis ipsius comprehendamus, haec sit huius probationis conclusio: Quapropter, licet denominatio universalitatis rebus proveniat ex conceptibus, tamen res sic denominatae reales sunt, et in rebus existunt (Disp. VI s. II n. I).

Quae omnia tantum absunt ab eo quod difficultatem in suo systemate pariant, ut etiam qua sinceritate solet advertat se non immorari in referendis et solvendis argumentis nominalistarum; nam ea nihil omnino obstant, quominus verum sit naturas, quae denominantur universales, in singularibus esse, ipsaque singularia habere inter se aliqua in quo conveniant, vel similia sint, et aliquid in quo differant, seu distinguantur, quod, ut deinceps tractat et breviter perstringimus, fundamentum est universalis. Hinc autem maxime constat doctrinam Doctoris Eximii alienissimam esse a recentiori nominalismo qui post Hobbes hac nostra aetate nobiles obtinuit propugnatores, eamque toto coelo distare ab illa sensistarum sententia, quae optimam scientiam, „une langue parfaite“ definivit. Quin imo, haec unica est adstruendi universalium via ut dum sensistas refellere nitimur in idealismum non incidamus. Per ipsam namque omni claritate elucet universale non esse figmentum mentis, propterea quod, utpote iam innuebat Aquinas, dum mens perficit intentionem universalitatis, attingit illud ipsum quod attingit sensus; nempe, sensus non apprehendit universale, prout est universale, apprehendit tamen aliquid cui per abstractionem accidit universalitas (l. 2 q. 29 a. 6 ad 1^{um}) seu ut alibi loquitur (*Post. Analyt.* I. II c. XV lect. XX n. 14): sensus est quodammodo etiam ipsius universalis. Cognoscit enim Calliam non solum in quantum est Callias, sed etiam in quantum est hic homo, et similiter Socratem in quantum est hic homo.

Atque haec sufficiant de natura universalium iuxta Doctorem Eximium, quem omnino profiteamur non magis mereri nomen conceptualistae, quam ipsissimum Doctorem Angelicum, certe ab hac nota alienissimum: nunc cum de cognitione universalium agemus, a comparatione Doctorum abstinemus, ne salebrosissimam quaestionem a nostro proposito alienam tractare debeamus, totam, dico, doctrinam facultatum cognoscivarum a Sancto Thoma traditam.

IV. De cognitione universalium.

Illud maxime nostra interest in praesentiarum, ostendere videlicet doctrinam Suarez circa cognitionem universalium optime cohaerere cum eius theoria quam de natura ipsorum dudum protulimus. Scientia est de universalibus, ut fert vetus proverbium; idque repetit et tenet noster auctor, hincque certum et indubitatum manet ipsum admittere proprii nominis cognitionem universalium, quod omni difficultate vacat. Sed quid veniat in vetere proverbio nomine scientiae, res est obscuritate plena. Profecto, sensus verissimus videtur eiusmodi: scientiam de singularibus, de exceptionibus ut ita dicam, nihil curare, vel parum, quod pro nihilo reputatur. Illud etiam, quod modo aiebam, haec sententia apud Suarez complectitur, quod res ipsae, quae universales nuncupantur ex operatione mentis, et prout hac denominatione insigniuntur, scientiarum obiecta constituent. Unde, praesertim in metaphysica consideratione, ut ubi in universum de obiecto uniuscuiusque scientiae est sermo, cognitio erit universalis, sicut in omni propositione, quae ex obiecto nomen universalis accepit.

Praeterea hominis scientia plurimum quae ad materiam spectat tractat: nunc autem facultas intellectualis quae scientiam gignit atque excolit, materiam longe superat, nec misceri cum ipsa potest, qui ergo fieri potest ut ipsam repraesentet?

Solent auctores tradere, non esse inconveniens admittere spiritualitatem facultatis nostrae, qua scientias addiscimus et simul ipsam imaginem referre rei materialis, per actum nempe ut vocant abstractivum. In hoc etiam adhuc habemus Doctorem Eximium cohaerentem sententiae communissimae.

Verumtamen; in quo tandem constabit haec usitata a materia abstractio? Huc devolvitur quaestio non contemnenda in philosophia, utrum sc. intellectus noster possit proprie cognoscere singulare materiale. Nam hoc certum apud omnes recipitur, si actus nostrae facultatis intellectivae rem materialem universali modo repraesentat, profecto non est materialis; aliunde etiam nobis compertum est saepe similem actum perficere nostram facultatem. Sed estne ita talis cognitio praecisiva rei materialis quasi tessera spiritualitatis actus nostri, ut quomodocumque et quandocumque cognitio rei materialis non sit ipsa praecisione praedita ad sensus sit proprie releganda? seu aliter: itane pertinet ad intellectum nostrum, rem materialem universali modo repraesentare, ut individuum materiale proprie vel directe non possit mente nostra repraesentari? Sunt quamplurimi qui responsum negativam dant, et quasi pro aris et focis in hac re certant, rationes numquam perpendunt eorum, qui affirmando responderunt. Quin imo noster Suarez universali philosophorum contemptui abicitur vel hac sola ratione, quod nempe sustinuit, intellectum nostrum in hac vita cognoscere **directe** singularia materialia.

In praesenti vero, non juxta famam et existimationem multorum vel plurium, sed secundum rem vestigemus, quid veri an falsi in hac sententia contineatur.

Sed ut a difficultatibus exordiamur, quaenam est sententia huic opposita, tam clara et fere ex terminis nota, ut tantam invidiam contra Suarez sententiam pariat? Omittendo nunc, utrum aliqua perspicuitate gaudeat, unum tantum certum invenio: adversarios Suarez convenire in neganda ipsius sententia; in penitioe autem explicatione reddenda, de modo quo intellectus noster singulare materiale cognoscit, nullatenus inter se consentire. Illud unum igitur in quo non in contrarias partes trahuntur, hac propositione continetur: **Intellectus noster in hac vita non cognoscit directe singulare materiale.** Sonat certe deinceps continuo apud hos auctores haec vox: reflexio ad phantasma, conversio ad phantasma, sed in his verbis explicandis mira dissensio.

Quid igitur contendunt ii auctores certe non contemnendi? Sunt e regione sectatores, non iurati (neque enim eiusmodi existunt), Doctoris Eximii, ut Arriaga, qui dum ad hoc declarandum veniunt, ingenue fatentur se nihil percipere ex eo quod velint dicere, qui negant intellectum nostrum primo et per se cognoscere singularia; neque hoc credimus posse in universum explicari, quandoquidem non una est ipsorum sententia: neque nostra interest, quid adversarii propugnent, cum tantum velimus rationes Suarez in medium producere.

Argumenta, ut dixi, adducam non verba repetendo, sed ex tota doctrina hauriendo, idque faciam omnia ad tria capita reducendo. Neque ut certam propono sententiam, sed ut quod verisimilius apparet.

a. Ex doctrina tradita de universalium natura consequitur proprio aliquo modo, tam directe ac universale intellectum nostrum posse cognoscere singulare.

Ut autem ambiguitatem verborum vitemus, notamus nos non esse contenti hac argumentatione: In rerum natura non datur distinctio realis inter singulare et universale; non ergo possumus cognoscere universale quin realiter simili modo singulare ex parte obiecti attingamus, quod est ipsum cognoscere. Aequivocatio est hic in verbo cognoscere, nam quamvis tum cognitio universalis tum singularis ex parte obiecti in idem incidant, tamen in se ipsis valde differunt, ut constat manifestissima experientia.

Argumentum igitur aliud adducimus, et explicamus per influxum, quem illud quod singulare est debet quadamtenus exercere in ipsam intellectionem. Intellectio namque, ut est solemne apud scholasticos, oritur a sensu, vel melius, ab ipso exorditur; ab ipso enim sensu intellectus species intentionales, quae ad intellectionem producendam inserviunt, desumit vel extrahit; sensus autem est de singularibus seu singularia refert et offert quasi intellectui, eodem ergo iure saltem ex hoc capite exsurget intellectio rei sive singularis sive universalis. Nam in quo stat inter ipsas cognitiones distinctio? Ponamus, exempli

gratia, cognitionem intellectualem materiae vel substantiae materialis universalis et cognitionem pariter intellectualem rei materialis individualae. Quid est, quaerit Suarez, in secunda quod non inveniatur in prima earum, ut prima possit esse directa, non vero secunda? Sunt non pauci qui existimant hanc difficultatem promanare ex eo quod facultas spiritalis non possit repraesentare in concreto circumstantias loci et temporis, ut rem determinatam ut hic et nunc existentem cogitet. Exilis sane responsio. Quisnam est, quaero, sensus spatii et temporis? Nonne quod existat locus et quod existat tempus in concreto, ad intellectum respicit? Numquid ut de angelo individuo cogitemus, ipsum vel loco carere vel in immensum crescere supponere debemus? aut ut de anima nostra separata aliquid intelligamus, non modo immortalem, sed aeternam etiam esse affirmabimus?

Sed omitto ista, nimis sane abstrusa ut in his doctrina psychologica innitatur. Ad materiam redeo mente a circumstantiis loci ac temporis praecisam, et de ipsa quaerimus, utrum iam sufficienter sit a sua intrinseca materialitate depurgata, ut possit spiritalis facultas ipsam complecti, cum circumstantiis autem illis non possit? Numquid substantia materialis formaliter in sua materialitate constituitur per adiuncta loci ac temporis? Hoc qui affirmaret omnibus philosophis qui scholastici umquam fuerunt valediceret. Immo vero, si materia, in sua materialitate his rationibus constitueretur, ex eo ipso quod intellectus ab ipsis praescinderet, iam non materiam universalem, sed aliud quippiam intelligeret. Perspicuum ergo est, quod quamvis millies quis velit a circumstantiis eiusmodi praescindere, nihil ipsi restat ut obiectum mentis nisi materia seu ens magis materiale et crassum quam omne illud a quo praecisa fuit: non ergo est maior difficultas in defendenda cognitione directa substantiae materialis universalis quam in individuo determinatae.

Porro, respectus omnes per quos res materialis concreta posset in phantasmate ab intellectu perspecto distingui, cur non poterunt ab ipso intellectu immediate exprimi, sicut exprimitur crassitudo materialitatis ipsius? Quid est in lineamentis rei vel in accidentibus eius quod magis repugnet repraesentationi spiritali, quam ipsa materia quanta, quae tota quanta est materia est, nec quidquam pulchritudinis nisi materialis potest referre? Profecto, si lineamenta, si colores, si calor, si, uno verbo, quidquid accidit corpori quanto, materiale cum sit, deficit a ratione operationis nostrae spiritalis cognitionis, nonne totus defectus ipsorum ab ordine quem ad materiam dicunt dimanat? Liceat ergo sententiam adversariis gratissimam ad rem proferre: Propter quod unumquodque tale et illud magis, quam apposite proferre possumus in hunc modum: Propter dependentiam a materia quanta non possunt adiuncta corporis, ipsum in individuo determinantia, ab intellectu cognosci; ergo multo minus directe cognoscetur ipsum corpus seu materia quanta. Quam saepe proverbium istud minus accommodate contra Suarez praedicatur! Mitto tamen indigestam sententiam; et ex dictis clare satis concludo:

non minus sed magis rationi consentaneum videri intellectum nostrum singulare materiale directe cognoscere.

b. Ipsa experientia suadet intellectum nostrum, tam directe percipere singulare materiale, sicut directe intelligit materiam in genere.

Extra dubium positum est esse in nobis cognitionem universalem materiae, illamque conferre ad spiritualitatem animae declarandam, quippe quae in ipsa materia determinata recipi non posse videtur. Nihil in hac ratione spiritualitatis animae nostrae invenimus quod obtemperemus, dummodo nihil his terminis contineatur, quod immerito praesudicium contra nostram thesim faciat. Est sane cognitio universalis materiae signum spiritualitatis nostrae; sed tunc maxime, quando materiam ipsam transcendit prorsus ac quasi post se relinquit consideratio intellectus nostri, ut cum sub ratione substantiae vel entis in genere convenientis Deo simul ac spiritui ipsam repraesentat.

Sed quid dicemus cum experientia nobis assidua inducit nos ad recognitionem actionis intellectus nostri circa singularia? Nonne innumera et clariora exempla nobis suppetunt quam conceptus universalis materiae ut aiunt primae, cognitionum singularium materialium, quas merito tribuimus facultati nostrae primariae in ordine cognoscitivo? Sunt profecto hodierni philosophi, qui intellectu nostro posthabito, quas superiores in nostro animo operationes agnoscunt, omnes ad phantasmata relegant; cum autem ventum est ad agendum de cognitione universali, eam quasi puram nominum associationem facile contemnunt. Quid hoc ad rem nostram faciat, vide.

Sunt quamplurimi actus animi nostri, iudicia inquam ac ratio-cinia, quae de singularibus et quidem materialibus agunt. Recordare, si lubet, scientias omnes empiricas, ut aiunt, in quibus tam multae sunt veritates particularium, tam paucae vel fere nullae affirmationes seu conclusiones vere universales. Tunc, quaerimus, dum contra mentem Aristotelis de particularibus agunt scientiae, nullatenus per ipsas intellectus exercetur? Nonne ad intellectum pertinent tam multae affirmationes vel negationes circa particularia, quibus solis tam multa sunt referta scripta sapientum hac nostra aetate? Uno verbo: experientia, scientificè vel recte facta, ut nunc fit, ad intellectum pertinet; experientia autem ut apud omnes constat est de singulari; datur ergo intellectio rei singularis; est etiam illa cognitio directa, nihil enim minus habet reflexionis ad phantasmata quam scientia experimentalis. Etenim de rebus est in ipsa sermo, non de impressione in organo vel cerebri parte, et de phantasmatibus inde resultantibus. Nam, dum ponimus propositionem de subiecto singulari: v. gr. A est sentiens, intellectus est qui affirmat, intellectus est qui comparat obiectum materiale A cum sentiente, intellectus tandem percipit similitudinem ipsius cum omni natura sentiente; tunc autem negare intellectum attingere unum extremorum comparationis vel

respectus seu relationis similitudinis, quid magis omni verisimilitudine destitutum? Cognoscat sane, dicet aliquis, sed per conversionem ad phantasma ipsius individui A. Sed ut haec est trita responsio, ita facillimam habet refutationem. Ergo in phantasmate, et quidem materiali individuo phantasmate, intellectus potest et infinites attingit seu cognoscit omnia lineamenta rei materialis. Quid igitur causae est quod non possit haec ipsa materialia adiuncta individui materialis in ipsa re intellectus attingere? Quod indiget, ais, specie impressa. Verumtamen, nonne etiam indiget tali specie ad cognitionem universalem? Tum autem iam hoc admissum habemus apud omnes, quod sive per conversionem ad phantasma, sive aliter, intellectus vere cognoscit singulare, ergo intellectus possibilis potest ope phantasmatis formare sibi imaginem individui materialis; ergo, nisi ratio reddatur disparitatis, qua de intellectu agentis impossibile sit affirmare ipsum posse producere speciem impressam propriam individui materialis, quae ratio hucusque non est tradita, sine fundamento asserunt multi philosophi intellectum nostrum non posse in hac vita directe cognoscere rem singularem; paritatem autem vigere constat; ergo dicendum intellectum singulare materiale directe sicut universale perspicere.

Sed videamus, quomodo ex negatione huius conclusionis sensim ad negationem intellectus deveniri possit. Non inepte potest tunc sensualista hoc modo per successivas negationes procedere. Apprehensio et recordatio et memoria rei sensibilis concreta, quae ut scimus experientia validiores in nobis sunt, omnes ad sensus referendae et in ipsis collocandae erunt. Ex ipsis enascuntur combinationes quamplurimae, vel casu, vel ex ordine obiectorum, vel ex ipsa dispositione impressionum in organo. Praeterea, nescio qua occasione, audit philosophus iste novus vel inter ipsos scholasticos spiritualistas admitti (ut vitetur cognitio intellectiva directa singularium) facultatem quamdam, cogitativam nempe, quae ad actus circa singularia, qui vulgo rationi tribuuntur, ipsa per se inserviat, quin opus sit intellectu spiritali. Tum sensualista ille nihilo pluris indigere putat, ut omnem excludat intellectum. Etenim scientiae, ait, quae nostro tempore sunt in honore, nihil nisi experientiam considerant, experientia autem non est nisi de singulari, unde ad sensum pertinet; inductiones veri nominis in ipsis vix umquam obtinemus, ad quid ergo intellectum adstruere, facultatem superadditam novam et maximam ad casus incertos et raros, de quibus vix experientiam obtinemus ullam. Non ergo est intellectus, concludet.

Non negabo aliquam in utraque hypothesis esse refutationem possibilem eiusmodi discursus; illud tamen evidenter apparet longe faciliori modo talem sermoem in sententia Suarez posse refelli. In hac enim omnis veri nominis experientia ad scientiam evolvendam elicit, se ipsa ad intellectum spectat; multoque magis omne iudicium et quidquid ad rationem pertinet. Hincque fit, ut in hac opinione nihil labefactetur spiritalitas animae, dum nimis augetur vis

facultatis imaginativae, propterea quod affirmatur semper coexistere imaginationi cognitionem intellectivam circa idem obiectum singulare; quod ex propositionibus singularibus quae imaginationem comitantur constare videtur.

Est praeterea aliud inconveniens non contemnendum in exclusione cognitionis directae singularis, in quo certe auctores non contemnendi saepenumero incidunt. Equidem doleo quod ex hac praeiudicata quaestione multi in probatione spiritualitatis animae rationem mirabiliter mancam relinquunt, cum toti sint in explicando quod obiectum proprium intellectus nostri sit natura vel essentia universalis quamvis materialis, non advertentes materialistas nullo negotio contra hoc sese expedire, cum respondeant vel existiment cognitionem universalem eandem esse ac confusam singularis, quae etiam in sensum cadit. Suarez autem probat spiritualitatem multo securius, nullum praebendo locum huic molestae responsioni.

Ut igitur in unum redigam quae sparsim in hoc secundo argumento protuli, haec ipsius summa: opinio Doctoris Eximii meliori modo quam illa quae e regione est, defendit spiritualitatem animae nostrae; quia omnia quae ad cognitionem pertinent, quibus bruta superamus, ut certa patet experientia, ad unicam facultatem superiorem, sc. intellectum refert.

c. Difficultates adversariorum facile solvuntur. Dum agitur non de re aliqua certa, sed tantum de hypothesis, ad rem certam defendendam non videtur infitiandum optimam normam probabilitatis sententiarum in maiori vel minori facilitate ad obiecta solvenda constare. Si hanc regulam sententiae quam tradimus, applicamus, non parum eius meritum augescere videbimus. Quamvis brevitate gratia nolumus singulas rationes ab adversariis maxime allatas percensere ac detrudere. Tantum aliqua capita doctrinae addam, quibus plurimae, ne dicam omnes, evertuntur.

1. Non est contra naturam spiritus, quod singulare materiale mente referre possit. Id enim apud omnes doctores scholasticos admittitur in angelis locum habere. Porro, ipsi spiritus angelici ut hominem individuum cognoscant, non indigent conversione ad phantasmata, cum his careant. Ergo spirituali prorsus modo intellectus angelicus singulare materiale directe cognoscit. Non ergo fundari potest impossibilitas praetensa cognitionis spiritualis singularis prae universalis in perfectione intellectus nostri. Ex hac manifesta solutione a Suarez iam proposita nascitur novus modus et ingenuus adornandi difficultatem. Haec enim impossibilitas consistit, aiunt, in perfectione admixta imperfectione intellectus nostri: quippe qui est medius inter sensum et intellectum angelorum. Ergo, cum sensus sit unice de singulari, et intellectus angelorum tum in universalibus tum in singularibus versetur, restat quod intellectus humanus tantum universalialia tractet. Sed quid, si intellectus humanus medium locum obtinet quem ipsi assignamus, eo ipso quod tum singulare tum uni-

versale cognoscat, sed utrumque imperfectiori modo quam angelus? Hoc autem certo constat ex hac comparatione cum angelo, non repugnare spiritui cognitionem lineamentorum individui, nec repraesentationem adiunctorum loci ac temporis, quae adiuncta multis magis materialia ipsa materia videntur apparere. Addas, velim, tam parum hoc repugnare, quod non absurde dicas, intellectum divinum non aliter posse cognoscere materiam, nisi cum his omnibus tam maxime materialibus circumstantiis; eique repugnare cognitionem universalem seu confusam substantiae materialis.

2. Maiorem forsani pariet difficultatem, quod quidquid intellectus noster in quolibet individuo discernere potest, ita ad distinctionem individuorum inservire valeat, ut fateamur necesse sit non esse impossibilem individuorum confusionem, si nempe individua quae intellectui offerantur de novo valde sint praecognitis similia. Haec si quid prosunt adversariis, etiam omnem cognitionem sensilem individuorum evertunt; admittimus autem per sensus cognitionem individuorum; ergo ex hoc capite non possumus id intellectui negare. Quapropter id unum difficultas evincit, nostram cognitionem individuorum, sive per sensus, sive per intellectum ad ipsam perveniamus, posse aliquando locum praebere confusio. Nec mirum. Sane, omnis perfectio humana admixta est imperfectione et omnis claritas aliqua caligine laborat, nec maculae in lucidissimo sole non nisi raro desunt. Si ergo ex confusione quae ex cognitione sensili potest enasci inter individua, non negamus sensibus illam cognitionem ipsorum, nec intellectui negare iure possumus.

Quid? quod inter cognitiones naturarum universalium, certe intellectui nostro, similis et multo maior confusio et accidere potest et accidit et accidere debet? In mentem revocare sufficiat quaestionem de permanentia vel transformatione specierum infimarum saltem, et has dubitationes confert cum sententia adversariorum, quod propriam cognitionem et directam habeamus essentiae seu naturae materialis. Cur nescimus distinguere inter duas species valde proximas, ut vix in hac re plenam certitudinem acquirere possimus? Scilicet, quamvis proprie et directe illas cognoscat intellectus, adhuc confusionis est capax. Sed id ipsum applica cognitioni intellectuali individuorum, et nullam difficultatem contra ipsam reperies.

3. Non est novum obicere contra nostram thesim, intellectui nostro per hoc dualitatem quamdam inesse in eius operatione, a qua maxime natura in operando abhorret. Etenim unaquaeque res certum ac omnino definitum habet modum agendi, seu unius facultatis sive naturae non est duplex operatio, ne anceps quasi et perplexa maneat, dum ad operandum debet venire. Ex sententia autem Doctoris Eximii intellectus post sensum in duplicem potest actum vergere. Quid tandem fiet, cognitio singularis, an universalis?

Exilis sane ac flaccida obiectio. Difficultatem inveniunt in dualitate qui certo multipliciter intellectum in ipsa facultate admittunt. Nemo est qui inficietur intellectum posse multiplice

ratione eandem omnino rem existentem repraesentare, vel secundum speciem, vel genus proximum, vel genus remotum, vel per rationem substantiae, vel sub conceptu transcendentali entis ut sic: mirandum certe non est, quod, si inter haec omnia seu inter tot actus eliciendos intellectus expeditissimam viam ingredi scit, ut ipsi sese mutuo numquam impediunt, id ipsum accidat, quamvis primum et maxime per se directe cognitum ab intellectu sit singulare.

Est praeterea alia non contemnenda solutio. Nam si penitus rem considerare velimus, haec difficultas non cognitionem modo universalem simul et particularem in intellectu humano impetit, sed etiam in angelico, in quo nulla, ut ipsis adversariis videtur, potest manere solida obiectio. Si pro intellectu humano, ex eo quod post sensum potest ipse vel individuum vel universale percipere, non est in operationem erumpere, utpote qui non habet facultatem sese determinandi, neque intellectus angelorum id poterit, cum eandem dualitatem operationum sortiatur. Elige quod velis in speciebus angelorum, idque vel melius pro casu nostro dictum puta.

4. Etiam ad experientiam alii confugiunt, nescio cuius reflexionis ad sensum, dum volunt ex consideratione naturae universalis transire ad examen alicuius individui. Transitum huiusmodi quomodo melius appellem, nescio. Hoc noto, eodem iure ac reflexionem aliqui vocant, magis simpliciter attentionem etiam placet hunc actum nuncupare. Nec mirum attentionem ad particulare non minus quam ad universale similitudinem quamdam cum reflexione referre. Nam, ut de aliqua re particulari cogitemus (idem dic, de universali), indigemus specie quae ad ipsam inserviat, et cum haec quasi consopita in animo existat, ipsam expergefaccimus; tum in phantasmate aliquid etiam quod rem redoleat inesse oportet. Hoc autem si reflexionem vocas, eodem modo vocare debemus dum de cognitione universali erit quaestio, utrumque enim ibi locum habebit. Necessitas quippe phantasmatis ad unamquamque operationem intellectus nostri extra controversiam est. Mitto alia minoris momenti, si quae sunt, ut finem huic notulae imponam, quod faciam in memoriam revocando, non esse de ratione in universum intellectus rem universalem tantum sibi repraesentare; quod quidem evidentissime apparet hoc triplici facto:

- a) Deus non cognoscit nisi singulare, cum perfectioni ipsius contrarium sit res non cum omni claritate sibi repraesentare, ut sunt vel esse possunt.
- β) Angelus potest, ut diximus, cognoscere directe singulare.
- γ) Perfectissima operatio intellectus humani sicut angelici est contemplatio divinae naturae essentialiter singularis, et non naturam entis abstractissimi.